



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 14. Locutiones. Quæstiones in Scripturam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

straretur. Eorum aliquos in Romano-Saeculum V.
 rum vicinia, sed valde exiguo numero, A. C. 419.
 ante paucos annos fuisse conversos. Tar-
 dem nihil securum magis, quam vigila-
 re, & orare, non ideo solum, quod incerta
 sit vita nostra, sed etiam quod nescia-
 mus, quando venturus sit Dominus. Econ-
 tra, si credamus, cito venturum, timen-
 dum, ne, si revera venire tardet, illi, qui
 se hallucinatos videbunt, in fide vacil-
 lent, & scandalizati sibi imaginentur, nun-
 quam venturum. Id quoque cavendum,
 ne Infidelibus ansam præbeamus, credu-
 litatem nostram traducendi.

L. 13.

§. XIV.

*Locutiones. Quæstiones in Scriptu-
ram.*

Interim S. Augustinus opuscula duo in *II. Retract.*
 Sacram Scripturam inchoavit, quæ non *cap. 54. 55.*
 absolvit, aliis negotiis, magis necessariis, *to. 3.*
 supervenientibus. Primum, Locutiones
 sunt, seu modi loquendi Græci, aut He-
 braici, quæ legentem morantur, & occa-
 sionem dant, ibi, ubi nulla sunt, Mysteria
 investigandi. Simul dictabat quæstiones
 in eosdem libros, nempe objectiones, sibi
 in mentem venientes, quas non nunquam
 tantum proponit; at plerumque princi-
 pia, illis solvendis apta, tradit, & sensui
 litterali immoratur. Hæc opera non ul-
Hist. Eccles. Tom. V. Ecce tra

Sæculum V. tra septem primas Scripturæ libros, usque
A.C. 419. ad libros Regum produxit.

Cum quidam, cui nomen Pollentius,
11. Retract. ad S. Augustinum scripisset super quæstio-
c. 57. to. 6. ne, de separatione conjugum adul-
 terii causa, permovit eum, ut libros duo

de matrimoniis adulterinis scriberet. Pol-
 lentius sentiebat, mulieri, quæ a Marito

1. Cor. 7. 10. discedebat, causa adulterii, ab ipso ab-
 missi, libertatem tribui, alium ducendi,
 quod vero S. Paulus huic opinioni contra-
 rium dicit, de illa explicabat, quæ ob alias

c. 8. causas alteri nubit. S. Augustinus asse-
 rit, hanc prohibitionem ad uxorem, quæ
 causa adulterii separatur, spectare. Di-
 cebat etiam Pollentius, conjuges fideles
 a parte infideli discedere non posse; at
 S. Augustinus demonstrat, id a S. Paulo
 permitti, quamvis non suadeat. (*) Ex
 verbis initio secundi libri videmus, vene-
 mens desiderium libros S. Augustini le-
 gendi quandoque causam fuisse, ut illi
 qui Sancto viro convivebant, eos, ipso
 Auctore inconsulto, ederent.

§.XV.

(*) Hic post Anonymum I. advertendum, Ec-
 clesiam non sequi S. Augustini opinionem, nec
 etiam ex Apostoli verbis satis colligi, Parti fidei
 simpliciter permitti ab infideli discedere, sed tan-
 tum in casu, qui ab Innocentio III. Cap. grade-
 mus. de Divortiis exprimitur, si pars infidelis
 sine injuria Creatoris nolit cohabitare.